

P V I S

1 6 1 8

- I. Caroli de Casu Mirabili ad Academias.
- II. Simonis Stenii Dialogi duo Græcè conscripti.
- III. Oræes duæ: una de Consensu Theologiæ Lutheri cum Alia Epicuri, Hungeri Pontifici: altera Schilteri prioris Apologiam continens.
- IV. Petri tres de Peccato Originali.
- V. Samuelis Porisii de Invidia.
- VI. Orationes Septem à Johanne Pseffingero et Henrico Salmutho in commendatæ Rectorum Lipsiensium habita.
- VII. Oratio Funeris de Augusto Saxonia Electore, Furmani.
- VIII. Oratio de Vita Christiana.
- IX. Oratio Chrysostomi de Exortio Manti Latine redita.
- X. Davidis Viti de Justitia et Bonis Operibus.
- XI. Oratio Auleantini quæ ad Dna. Fruchum lecta est Auditoris.
- XII. Tossam tres de Pelagianismo.
- XIII. Caschi oratio in actu Magistris habita.
- XIV. Hutteri Laudatio Funeris Christiani II. Electoris Saxonie.
- XV. Episcopi Synopseos Myliana de Comœdia Christiana.
- XVI. Viti Vituperatio et Laudatio et cetera.
- XVII. Indicius obitus conjugis D. Tassenbergger.
- XVIII. Oratio M. Aemilii Porti in Actu Magistris.
- XIX. De studiis Tevitarum Abstrusioribus.
- XX. Gedici Defensio Sexus Mulieris.
- XXI. Hopfneri Oratio Funeris Lysero dicta.
- XXII. Chytræ de Pœtâ Avimii Tranallitæ.

EX LIBRIS  
 ILLUSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATVS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS,

NJ 34

118  
ORATIO

DE VITA CHRISTIANA  
RECTE INSTITVENDA,  
VT SECVNDVM APOSTOLI PRAECE-  
PTVM, AD TITVM SECVNDO, PIE, IVSTE  
ET AEQUALITER VIVAMVS IN  
HOC SECVLO.

HABITA  
A GENEROSO COMITE AC  
DOMINO, D. HIERONYMO SCHLICK,  
Comite in Passaun, Domino in VVeiskir-  
chen & Schlackenverda: Acade-  
mix Marpurgensis  
Rectore:

CVM EIVS ACADEMIAE STATVTA  
& leges, in suo annuo magistratu, secundo pu-  
blice recitari curaret,  
4. Maij.

ET DEDICATA  
INCLYTO COMITI AC DOMINO, DOMINO OT-  
toni, Comiti in Mansfeld, &c. Rectori  
Ienensi, &c.

ANNO M. D. LXXVIII.

2



3

7

ILLVSTRI AC GENE-  
 ROSO COMITI AC DOMINO,  
 DOMINO OTTONI, COMITI MANS-  
 feldensi, nobili Domino in Heldrungen, celeberrimæ  
 Academiae Ienensis Rectori Magnifico,  
 fratri & amico vnicè colendo & lon-  
 gè charissimo,

INCLYTAE ACADEMIAE  
 MARPVRGENSIS RECTOR, HIERO-  
 nymus Schlick, COMES de Passaun, Dominus in VVeiß-  
 kirchen, & Schlakenverda.  
 S. P. D.

**M**VLTAE extant conciones, quæ de  
 vita Christiana rectè instituenda  
 docent, relatæ in literas per Pro-  
 phetas & Apostolos: Sed inter has  
 omnium piorum consensu excellunt duo in-  
 signia dicta, quorum vnum Petri est Apostoli,  
 2. Pet. 1. Alterum Pauli, Tit. 2. cap. Sic enim Pe-  
 trus inquit. Maxima nobis ac preciosa promif-  
 sa donata sunt, vt per hæc efficiamur diuinæ cõ-  
 fortes naturæ, elapsi ex corruptione, quæ est  
 in mundo per cupiditatem. Ad hoc ipsum ve-  
 rò vos omni collato studio adijcite fidei vestræ  
 virtutem, virtuti yerò scientiam, scientiæ ve-  
 rò tem-

A 2 rò tem-



4  
rò temperantiam , temperantiæ verò toleran-  
tiam , tolerantia pietatem , pietati verò ani-  
mum in fratres propensum , Animo verò in  
fratres propenso, Charitatem. Hæc enim si vo-  
bis adsunt & exuberant, non inertes nec infru-  
ctuosos vos efficiunt ad Domini nostri Iesu  
Christi cognitionem: nam cui hæc non adsunt,  
is cæcus est, nihil procul cernens, oblitus sese à  
veteribus peccatis suis fuisse purgatum. Qua-  
propter fratres potius studete vocationem &  
electionem vestram firmam efficere. Hæc enim  
si feceritis, nunquam impingetis: ita enim co-  
piosè subministrabitur vobis introitus in æter-  
num Regnum Domini nostri & Seruatoris  
Iesu Christi.

Hac dulcissima concione non solùm argu-  
menta efficacissima proponit, quæ hortari at-  
que impellere pios debent ad studium vitæ re-  
ctè instituendæ: sed etiã, qualis vita benè com-  
posita esse debeat, pulcerrima orationis figu-  
ra ostendit, cum virtutes omnium maximas,  
velut in hortu, concinnat, amoenissimum, vt  
quemadmodum hoc verno anni tempore pue-  
ri ac puellæ coronis ex magna florum varia-  
te contextis capita ornât, sic, qui verè Christia-  
ni esse

5  
ni esse volunt, Deo placere, & hominibus probati esse studeant, exercenda fide, virtute, scientia, temperantia, patientia, pietate, amore fraterno, & charitate.

Nec verò de argumentis, quibus ad harum virtutum studium nos hortatur Apostolus, differendi nunc locus est, cum singulorum explicatio accurata, orationē singularem desideret. De ipsis tantum virtutibus, ad quas pij omnes tanquam ad normam certam, consilia, studia, actiones & labores suos in omni vita dirigere debent, breuiter simpliciterq; aliquid dicam.

Primum enim in fide iubet præstari virtutem, hoc est, vult lucere in mentibus veram notitiam doctrinæ de Deo, & ardere in animis fiduciam misericordiæ diuinæ gratis nos recipientis propter Christum mediatorem. Hanc verò fidem vult non ignauam & ociosam esse, sed efficacem, quæ verè impellat cor ad inuocationem, ad cauenda scandala, ad ornandam gloriam Dei omni officio. Deinde addit, in virtute præstandam esse scientiam, Quo nomine significat delectum operum, seu iudiciū ac prudentiam, quæ regat consilia & impetus animorū. Nam multi ardentes studio rectè faciendi,

extra metas prouehuntur, vt Eremitæ ne viderentur delectari vitijs, quæ in mundo grassantur, superstitione deseruerunt societatem ciuilem, vbi debebant alijs seruire, cum Deus immensa bonitate sparserit Ecclesiã in mundum, vt ex hac corruptissima massa generis humani colligat filio suo æternam hæreditatem. Sic sæpè alios videmus etiam tum, cum finẽ bonum prospiciunt, in medijs tamẽ, per quæ ad finem illũ contendunt, errare, & bonam causam male agendo corrumpere. Vult igitur Apostolus rationem prudenter agendi comendatam esse Christianis, non modò vt finis bonus sit, ad quem contendunt, sed etiam vt media sint legitima, id est, diuinitus concessa & approbata & rectè ad finem ducentia. Porrò scientiæ adiungit temperantiam: quia multi dum vitant, ne nimio studio prouehantur longius, in alteram partem peccant, nimirũ indulgendo corpori aut ocio, vt nunc reprehensa superstitione ieiuniorum & precationum aliquantò minus est temperantiæ, aut precationũ quàm oportuit. Requirit igitur continentiam, & hac vna appellatione complectitur ordinem conuenientem in cibo & potu, & moderatũ ysum voluptatum  
omni-



7  
omnium & modestiã, quę in sermone & gestu,  
& omni actione seruat conuenientiã nec disce-  
dit à natura, & personę ac locorũ ordine. Mox  
verò & patientiã adiungit: quia vt temperãtia  
animũ inuictũ retinet aduersus illecebras vo-  
luptatũ, neq; blandimētis mundi emolliri se fi-  
nit: sic patientia in frenanda vindictę cupidita-  
te & in malis fortiter tolerandis necessaria est.  
Multa. n. quotidie singulis accidunt, quorũ vel  
indignitate vel acerbitate offensi, ad facienda  
ea, quę decēt, nõ languidi modò sed exanimes  
essemus, nisi nos sustineret patientia. Sed in hac  
pietate nos præstare iubet Apostolus, vt, quic-  
quid in externa vita agamus aut patiamur, ita  
nos cõparemus, non vt nostrũ honorẽ aut cõ-  
modũ quęramus, aut Philosophico tantũ mo-  
re tolerantia præstemus, sed vt ad gloriã Dei  
omnia referamus, eiusq; volũtati nos in aduer-  
sis subijciamus. Differũt enim Philosophica &  
Christiana patientia, vt collatio definitionũ o-  
stēdit. PHIL. PAT. est, vtcunq; obedire rationi  
in ferendis aduersis, ita vt nihil contra iustitiã  
aliasue virtutes facias, vt Socr. nec iustitiã nec  
modestiam violat, cũ sine seditione & vlla defor-  
mitate mortẽ oppetit. At CHR. PAT. est obe-  
dire

8  
dire mandato diuino in tolerandis aduersis, ita  
ne facias aliquid contra mādāta Dei, nec Deo  
irascaris, sed fide agnoscas, eum tibi propitiū  
esse, & hac fide & spe lenias dolorem: vt Bapti-  
sta scit, se Deo charum esse, & Deum adesse in  
hoc ipso agone, & videt hanc mortē esse iter  
ad coelestem Ecclesiā. Hæc nō vident Palame-  
des, Socrates, Theramenes aut similes. Ideò  
autem in Christiana patientia lenitur dolor,  
quia tunc obiecta bona fide & spe cernuntur.  
Iam comitem pietati vult esse amorē fra-  
ternū: quasi dicat, primam curam esse debere,  
vt Deo nos subijciamus, eumq; tū in secundis  
tum in aduersis reb. pie ac reuerēter colamus.  
Huic verò proximam virtutem esse Amorem  
Ecclesiæ, & communis concordia & fouen-  
da societatis studium, coniunctum cum bene-  
ficentia, qua propter Deum mereri de alijs stu-  
deamus, præsertim si qui fidei eiusdem societa-  
te ac professione nobiscum, coniuncti sunt. Po-  
stremò addit Dilectionem vt ostendat se po-  
stulare synceritatem amoris, à qua absit simu-  
latio, & captatio nostræ utilitatis. Hoc modo  
pulcerrimū sertum Petrus contexit tanquam  
flosculis fragrantissimis, sic præcipuis virtuti-  
bus,

9  
bus, quæ vitam Christianam maximè ornant,  
concinnè inter se iunctis atq; compositis. Sed  
non minus dulcis est Pauli oratio, cum in Epi-  
stola ad Titum, quasi torquem aureum tripli-  
catum de collo Christianorù suspendens, tem-  
peranter & iustè & piè nos in hoc sæculo vi-  
uere iubet. Cum enim triplex sit hominis or-  
do, vnus erga seipsum, alter erga proximum,  
tertius erga Deum: sic nos vitam instituere iu-  
bet Paulus, vt semper meminerimus, quid Deo,  
quid nobis ipsis, quid cõmuni societati debea-  
mus, & in singulis officijs præstandis modum  
conuenientem seruemus. Ac erga Deum qui-  
dem pietatem, erga proximum iustitiam, erga  
nos ipsos temperantiam requirit. His paucis  
verbis omnia, quæ ad Christianam vitam per-  
tinent, quæq; pluribus membris Petrus distin-  
xit, complectitur. Atq; eodem in loco addit  
spem atq; expectationem secuturæ beatitudi-  
nis, vt si quis torqui aureo gemmam eximiam  
appendat. Verum de toto hoc Pauli dicto, quo  
haud scio an vllum extet luculentius, quodq;  
magis bonorum animos permouere possit,  
mediocri diligentia vberiore explicatio-  
nem institui in oratione, quam nuper ante le-

B gum

10  
gum recitationem habui in inclyta Academia  
Marpurgensi: eamq; à multis rogatus, cum ede  
re constituissem, Tui in primis nominis mentio  
ne, InclYTE & generose Comes, frater & amice  
longè iucundissime prodire in publicum volui:  
non tam quod meis tibi cohortationibus opus  
esse arbitrarer, quibus in celeberrima Acade-  
mia, in qua nunc versaris, aures tuæ quotidie  
personant, quàm vt in inscriptione tui nominis in-  
uitarem alios ad has cohortationes legendas,  
quas te quidem re atq; facto ipso exprimere vi-  
dent, dum & ætatem istam tuam & familiam  
amplissimam, & Rectoratus tibi commissi di-  
gnitatē pijs, iustis & castis moribus ornare stu-  
des. Omniū verò maximè amoris erga te mei,  
& benevolentię atq; coniunctionis mutuæ ceu  
pignus, & monumentum publicum esse volui,  
hanc meã ad te προσφώνησις. Etenim iure eximio  
affinitatis deuincti (quod carissima Soror mea  
Elizabetha, nupta est inclyto & illustri Comiti  
Vuilhelmo, Comiti Svartzburgensi, D. vtriuf-  
que nostrum amantissimo, tibi auunculo, mihi  
affini colédo & carissimo) pari propemodū æta-  
te, iisdemq; in studijs aliquãdiu simul in Acade-  
mia Lipsensi viximus, & arcana quadã nature in-  
clina-

11  
clinatione mutuò nos cõplexi, non modò corã  
dulcissima conuersione vñ tum sumus, sed ex  
eo etiam tempore locorum interuallis disiun-  
cti atq; separati amicitiam semel constitutã san-  
cte inuolateq; inter nos conseruauimus. Mihi  
verò de causis amicitiaẽ persæpè cogitanti vide-  
ri solet, nullas esse amicitias dulciores aut dura-  
biliore, quam quæ ex studiorũ similitudine in  
ætate tenera inter amicos nõ distortos, neq; ab  
humanitate alienos cõtrahitur. Nam cum Ami-  
citiã, vt præclare Cicero dixit, nihil aliud sit, nisi  
omniũ diuinarum humanarumq; rerũ cum be-  
neuolentia & charitate sumã consensio: potest  
ne quicquam efficacius esse, vel ad concilian-  
dam, vel ad retinendã amicitiam mutuã, quàm  
societas studiorũ, ex qua similitudo iudicij de re-  
ligione rebusq; diuinis oritur, ad quã cum acce-  
dit cõuersatio quotidiana ac familiaris in ætate  
præsertim iuuenili: sic inter se animi nõ degene-  
res coeunt ac coalescunt, vt per omnẽ vitã post-  
ea glutino cõpacti firmissimè cohæreant? Quod  
si ad excolendam pietatem & virtutem, simi-  
le in ætate matura studium accesserit, iam nul-  
lum arctius amicitiaẽ atq; foederis mutui vincu-  
lum dici ac cogitari potest.

B 2 Itaq;

Itaq; vehementer me delectat illa tuum mu-  
 tuæ inter Nazianzenum & Basilium amicitia,  
 tum studiorum iuuenilium descriptio, quam  
 Nazianzenus recitat. Nam Athenis, inquit, fa-  
 miliariter coniuncti & iisdem studijs occupati,  
 mutuo amore fauciati sumus: Vterque alteri  
 quiduis eramus, contubernales, conuictores,  
 concordēs, vnum idemq; spectantes, mutuum  
 amorem quotidie inflammantes & confirman-  
 tes. Nam corporum quidem amores, qua res  
 fluxas sibi proponunt, fluunt quoq; ipsi, non se-  
 cus ac veris flores. Nec enim flamma consum-  
 ta, materia remanet, sed vna cum ea extingui-  
 tur. At pudici ac Deo grati amores, quando-  
 quidem rei certæ innituntur, propterea firmio-  
 res quoq; ac diuturniores sunt, quantoq; ma-  
 ior pulcritudo ipsis obuersatur, tantò etiam ar-  
 etius & secum & inter se constingunt earundem  
 rerum amatores. hæc quippe superni amoris lex  
 est. Et postea rursus. Vna, inquit, vtrinque anima  
 videbatur, duo corpora ferens. Quod si minor  
 fides ijs habenda est, qui omnia in omnibus po-  
 sita esse dicunt: At nobis certè credendum est,  
 quod vterque in altero, & apud alterum posi-  
 ti eramus. Vnum hoc ab utroq; nostrum age-  
 batur,

15  
batur, vt virtutem coleremus, atq; ad futuras  
spes vitæ nostræ rationes accommodaremus  
ante mortem à terra migrantes. Quod quidem  
nobis ob oculos proponentes vitam actiones-  
que omnes nostras dirigebamur, tum diuini  
præcepti ductum sequentes, tum alter alteri  
virtutis studium extimulantes, atq; vterq; al-  
teri norma atq; amussis eramus, qua rectum à  
prauo discernitur. Non enim cum flagitiosis-  
simis ac petulantissimis quibusq; sodalium con-  
suetudinē habebamus: sed cum optimis & ho-  
nestissimis: nec cū pugnacissimis, sed cum tran-  
quillissimis & pacatissimis, ijsq; quorū consue-  
tudo maximos fructus afferebat: illud nimirū  
exploratum habentes multò facilius vitium  
contrahi, quàm virtutem communicari, quem  
admodum facilius quoq; morbus cōtrahitur,  
quàm sanitas impertitur. Disciplinis porrò non  
tàm iucundissimis quàm præclarissimis oble-  
ctabamur. Nam hinc quoq; vel ad virtutē vel  
ad vitium iuuenes informantur.

Duæ nobis viæ notæ erant: Altera prima-  
ria, & præstantior, quæ videlicet ad sacras do-  
mos nostras sacrosq; doctores ferebat, altera  
secundaria, nec eiusdem honoris, nimirum,

B 5 quæ

quæ ad externæ doctrinæ professores ducebat. Reliquas omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conuentus epulas ferebant, volentibus relinquere. Nihil enim, mea quidem sententia, magnificandum est, quod nihil affert ad rectè honesteq; viuendū, nec sui studiosos meliores reddit. Hanc descriptionem, quia omnibus adolescentibus prodest notissimam esse propter exemplum, & quia nostræ etiam conuersationis, qua Lipsiæ in eorundem studiorum societate & domestica consuetudine vsi sumus, memoriam vtriq; nostrum renouare visa est, integrè huc ascribere atq; huic meæ ad te compellationi inferere placuit.

Quanquam verò & apud Ethnicos scriptores exempla extant synceræ ac constantis amicitia, & paria aliquot amicorum recensentur, qui in rebus secundis & aduersis beneuolentiã perpetuam sibi inuicem præstiterunt, tamen longè his anteferenda est coniunctio atq; amicitia piorum in Ecclesia, qui non tantum animis & voluntatibus inter se sunt coniuncti, sed etiam in Deo vnum sunt. Nam vbi de doctrina religionis idem consensus est, & pietatis simile studium,



15  
studium, ibi Filius Dei summus Sacerdos Ec-  
clesiæ corda non solum naturali copu-  
lat, sed arctioris amoris nexu iungit per spiri-  
tum Sanctum: ac tales copulati Christo iam ag-  
glutinati sunt ad verum caput Deum qui ha-  
bitat in membris Christi, & sua Luce, sapien-  
tia, iustitia, & lætitia ea complet. Sic inter Da-  
uidem & Ionathan celebrant Sacræ literæ  
arctissimam fuisse amicitiam, cum vterque  
DEVM timeret, & hunc vnum sibi scopum  
haberet propositum, vt ad gloriam DEI  
omnia faceret, & ne esset scandalo Eccle-  
siæ.

Quod si igitur, InclYTE & generose Comes,  
frater & amice carissime, nos etiam ijs, quas in  
hac oratione leges, cohortationibus pio studio  
obtemperare pergemus: non dubium est non  
solum in his terris perpetuam atque perennem  
fore amicitiam, iam ante propter studiorum si-  
militudinem, & conuersationis in adolescentia  
nostra familiariter et pie inter nos contractam  
atque constitutam (Quam integram & saluam  
inter nos esse, vt erat Lipsiæ, omnibus summis  
summæ

16  
summæ benevolentiaë studijs ac officijs, nuper  
cum lenæ essem, mense Februario, prolixè mi  
hi probasti & declarasti, cuius rei memoria tam  
grata mihi est, quam quæ gratissima) sed ean-  
dem quoque nos altaturos esse tandem ad il-  
lam vitæ beatæ ac cœlestis consuetudinem, in  
qua cum omnibus electis ac Deo ipso in æter-  
num iuncti erimus. Quod vt ita sit, Deum ar-  
denter oro, vt & animos nostros sincera bene-  
volentia magis magisque in hac vita coniun-  
gat, & spiritu suo sancto amorem in nobis pie-  
tatis, iustitiæ & temperantiæ excitet ac confir-  
met, nosque faciat vasa misericordiæ suæ, & or-  
gana salutaria nobis & alijs. Te vero, suauissi-  
me Otto, vt hanc publicam tui cōpellationem  
in optimam partem accipias, & hanc velut te-  
stificationem mutuæ benevolentiaë gratam ti-  
bi esse sinas, rogo, Idque facturum te esse pro  
fraterna inter nos coniunctione plane mihi pol-  
liceor atque confido. Bene uale.

*Datum Marpurgi, 1578. 12. Maij, qua anno  
superiore, Lipsiæ valediximus, & inde ad eas  
Academias, in quibus nunc versamur, nos con-  
tulimus. Faxit Deus, vt hoc & gloria sanctis-  
simi nominis eius imprimis seruiat, & nostris  
honorificum, ac nobis salutare sit.*

17

# ORATIO DE VITA CHRISTIANA RECTE INSTITVENDA.

AMPLISSIMI, REVERENDI, HVMANISSIMI,  
optimi doctissimiq; viri, & studiosa bonarum  
artium iuventus:



Vtissimum est, in his nostris schola-  
sticis cætibus, fieri & inuocationem  
Dei, & pias commonefactiones, vt ad  
hos etiã congressus congruat dictum  
filij Dei: Vbi duo aut tres conueniūt  
in nomine meo, in medio eorum sum. Si enim re-  
ligiosa antiquitas apud Ethnicos, sententia haud  
dubiè à sanctis patribus accepta, rectè dixit: *Εὐφρο-  
μία παρὰ σπονδαῖσι καὶ δίσον*, id est, In sacris ceremo-  
nijs res optima ac laudatissima est fundere faustas  
preces: Quantò magis decet, nostros congressus  
scholasticos, qui sunt pars Ecclesiæ Dei, non esse  
prophana spectacula, sed cætus tales, qui DEO  
grata sonent, & coniunctis suspirijs & votis pias  
preces ad Deum dicant.

*Exordium à  
gratiarū actio-  
ne erga Deum  
& precatone.*

Quamobrem non aliud auspiciū huic no-  
stro congressui (ad quem recitationis legum Aca-  
demiæ nostræ causa conuenimus) congruere ma-  
gis arbitror, quàm vt à pia precatone ordiamur,  
quam non dubito, veris gemitibus vos mecum fa-  
cturos, & vota mea pijs animorum motibus sub-  
secuturos esse.

C

Reue-

78  
Reuerenter ergo agnoscimus & fatemur,  
hunc verè Deum & creatorem esse cœli & terrę &  
hominum, qui se patefecit misso filio suo, Domi-  
no nostro Iesu Christo, & data voce legis & Euan-  
gelij: & verè colligere Ecclesiam æternam, & iudi-  
caturum esse genus humanum.

Huic vero & viuo Deo vnà cum Filio ipsius  
coæterno, Domino nostro Iesu Christo & Spiri-  
tu sancto gratias agimus, quod hanc inclytam A-  
cademiam, & in ea studia pietatis, linguarum &  
artium, & disciplinam honestam gubernat & cõ-  
seruat, & quod animos Illustrissimorum Princi-  
pum Landgrauiorum Hassiæ, qui sunt patres pa-  
triæ, & scholæ huius nutricij benignissimi, flectit  
ad hanc Academiam & necessaria doctrinarum  
studia fouenda, eorumque gubernationi cle-  
menter benedicit, & halcyonia his terris tri-  
buit.

Eundem etiam verum ac viuum Deum toto  
pectore oramus, vt propter suam gloriam sem-  
per inter nos sibi æternam Ecclesiam colligat, gu-  
bernet hanc Academiam, & diu incolumes ac flo-  
rentes conseruet Inclytos & Illustrissimos Prin-  
cipes ac dominos, Dominum V Vilhelmum, &  
Dominũ Ludouicum fratres, Landgrauios Has-  
siæ, Dominos nostros clemētissimos, Concedat  
placidam pacem, & conseruet in hac schola lu-  
cem veræ doctrinæ de Christo, vero Deo & vero  
homine, neque eam aut obscurari aut extingui  
finat, in tanta paucitate eorum, qui pericula con-  
trouersiarum, quæ nostris tēporibus motæ sunt,  
aut

79  
aut rectè intelligunt, aut seria cura afficiuntur re-  
tinendæ ac tuendæ veritatis, & in tantis furoribus  
multipliciter oppugnantium & turbantium re-  
ctè constituta & tradita.

Ah fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe  
pro nobis & resuscitate, custos Ecclesiæ, serua ti-  
bi semper inter nos semen aliquod sanctum, quod  
te verè agnoscat & celebret. Reprime Diabolum  
hostem tuum, qui præstigijs Sophismatum per  
organa sua obruere aut obscurare agnitionē per-  
sonæ & beneficiorum tuorum conatur: cumque  
dixeris, Ego sum vitis, vos palmites, fac vt simtis  
ex te propagati palmites, retinentes veram tui  
agnitionem & inuocationem, & faciētes tibi gra-  
ta & nobis atq; Ecclesiæ tuæ salutaria.

Ab his votis postquam exorsus sum, nunc *Propositio de*  
commonefactionem de vita piè recteque insti- *vita Christiana*  
tuenda recitabo: Sicut scitis vsitatum esse in A- *rectè instituen-*  
cademijs benè cōstitutis, vt ante legum recitatio- *da.*  
nem, iuuentutis Scholasticæ causa, admonitio-  
nes proponantur vel de parte aliqua doctrinæ  
Christianæ, vel de Magistratum & Legum autho-  
ritate, vel de virtutum officijs.

Cum autem nuper de fontibus præcepto-  
rum Decalogi, ex quibus omnes leges honestæ  
tanquam riuuli promanant, dixerim: & quæ  
de gubernatione disciplinæ seu de externis vir-  
tutum officijs dici possunt, sapienter & graui-  
ter in ipsis legibus, quæ postea recitabuntur,  
comprehensa sint: Statui hoc tempore, ad me-  
ipsum & alios exuscitandos, in genere aliquid  
dicere,

dicere, de vita Christiana piè rectèq; instituenda, non solum vt foris regatur Locomotiva, ne contra discrimen honestorum & turpium mentibus nostris naturaliter insitum, membra externa ruant, Sed multò magis, vt corda atque interiores animorum motus secundum normam verbi diuini flectantur ad obœdientiam DEO placentem.

Quanquam verò non modo actiones illas externas, quæ foris lucent & conspiciuntur, sed etiam interiorem hanc nouitatem, qua imago Dei in nobis instauratur, lex Dei plenè continet: Tamen cùm tarditas nostra, in hac naturæ corruptione, multis tam stimulis, quàm adminiculis opus habeat, & doctrina Euangelij ideo patefacta sit diuinitus, non solum vt ἐπιφειά dulcissima moderetur atque interpretetur legem: Sed etiam, vt ad ipsam, quam Deus in lege præscripsit, viuendi regulam inuiter atq; deducat animos: nihil dubitans affirmare possum, hanc de vita Christiana differendi rationem esse optimam atq; vtilissimam, si Conciones, quæ passim de studio bonorū operum, in scriptis Apostolorum extant, crebrò repetantur atq; inculcentur.

*Norma vite Christiana pulcherrima comprehensa in dicto Pauli ad Titum 2.*

Inter quas, cùm illa Pauli præclara Concio ad Titum secundo capite vel præcipuum locum omnium piorum consensu obtineat, agite quæso auditores humanissimi, vt de ea nonnulla in medium proferentem, benignè attentèque audiatis.

Illuxit, inquit Apostolus, gratia Dei saluifera



27  
fera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abne-  
gata impietate & mundanis concupiscentijs sobriè  
& iustè & piè viuamus, in præfenti sæculo, expe-  
ctantes beatam spem & manifestationem gloriæ  
magni Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi, qui  
dedit se pro nobis, ut redimeret nos ab omni ini-  
quitate, & purificaret sibi populum peculiarem,  
studiosum bonorum operum.

Haud scio an vllò in dicto scripturæ tanta  
tum breuitate, tum perspicuitate singulæ partes  
vitæ Christianæ tam distinctè explicentur, quàm  
in hoc dulcissimo, grauiissimoque Apostoli di-  
cto.

Hæc enim præcipua membra, quæ totam vi-  
tæ benè compositæ rationem complectuntur, e-  
numerat: Agnitionem salutaris gratiæ Dei, quæ  
patefacta est in Euangelio: Abnegationem impie-  
tatis & mundanarum cupiditatum: Sobrietatem,  
iusticiam & pietatem, deniq; spem atq; expectatio-  
nem finalis liberationis, quam sequetur vita atq;  
læticia sempiterna.

Hæc membra summam totius vitæ Christia-  
næ continent: Ad quam rectè instituendam, cum  
omnes conatus nostri tendere debeant, operæ præ-  
mium est, ut partes atq; membra singula paulo at-  
tentius consideremus.

Principio gratiæ Dei salutiferæ omnibus ho-  
minibus, quæ exhibitò Christo, & Apostolis mis-  
sis ad vniuersalem gentium vocationem, instar lu-  
minis, illustrauit orbem vniuersum, mentionem  
expressam facit, atque ad eò initium vitæ benè in-  
stituen-

*Partes vitæ  
Christianæ in  
dicto Pauli com-  
prehensa.*

stituendæ inde sumit, vt moneat in Euangelio  
nō solū sanciri ac repeti præcepta legis, de præ-  
standa obœdientia, quam Deus à nobis requi-  
rit: sed etiam doceri, quo modo inchoanda  
sint bona opera, & quo modo DEO place-  
ant.

Non enim licentiam peccandi concedit Eu-  
angelium, sed docet faciēda esse bona opera post  
acceptam remissionem peccatorum & reconci-  
liationem cum Deo. Monstrat etiam auxilium fi-  
lij Dei & Spiritus sancti: Et initia obœdientia, quæ  
tumuis languida atque infirma Deo placere ostē-  
dit fide propter Christum mediatorem, propter  
quem & persona gratis recipitur à Deo, & reli-  
quæ peccati teguntur, quæ in carne nostra adhuc  
hærent.

Quæ cum ita sint, meritò à gratia Dei pate-  
facta in Euangelio orditur Apostolus: Quia sine  
hac nec dulcescunt præcepta legis de bonis operi-  
bus, nec animos serio afficiunt, cum corda sine fi-  
de in Christum nec accedere ad Deum, nec cultus  
ei gratos præstare possint.

*Imago cogna-  
tionis inter le-  
gem & Euange-  
lium, quod ad  
doctrinam de  
bonis operibus  
attinet.*

Qua de re mihi cogitanti sæpe in mentem ve-  
nire solet dulcissimæ imaginis, quam in rerum na-  
tura Deus nobis proposuit. Affirmant enim rerū  
naturalium scriptores, naturalē *συμπάθεια* & mu-  
tuum quasi fœdus esse inter vitē & oleam, ad eò vt  
non solum incolumis maneat vitis, si inseratur o-  
leæ, sed etiam nouas vires accipiat & tum vuas tū  
oliuas gignat, seu vuas pariter vuarum & oliua-  
rum saporem referentes.

Atque



25  
Atque hanc ob causam, ut nostri interdum  
coloni solent pyramalis inferere, ita ut vnus sepe  
ramusculus producat & poma & pyra: Sic in Italia  
vsitatum hoc spectaculum esse aiunt, ut vitis  
insita oleæ vtriusque arboris fructus gignat.

Hæc naturalis cognatio & Sympathia ha-  
rum duarum arborum, pulcherrimè mihi pingere  
videtur cognationem legis & Euangelij, quod  
ad doctrinam de bonis operibus attinet. Nam vi-  
tis legem significat, olea Euangelium. Ut igitur  
olea insita viti suauius fructus affert: Sic Euan-  
gelio insita legis doctrina fit & mitior & foecun-  
dior. Tum enim interior obœdientia verè in-  
choatur, & non solum hominibus magis dul-  
cescit, sed etiam DEO incipit placere, cum  
fides regit opera legis, & cum homines agno-  
scunt voluntatem DEI in Euangelio patefa-  
ctam.

Postquam verò ad nos animandos, gra-  
tiam DEI proposuit Apostolus, ut nobis ad  
DEVM verè colendum viam sternat, duo in-  
primis obstacula, quæ maximè impediunt, tolli  
ac remoueri iubet: Nimirum impietatem, ad  
quam natura sumus procliues nimium, Dein-  
de mundanas cupiditates, quæ altissimis radi-  
cibus animis nostris, per peccatum corruptis,  
infixæ, incitantur atque irritantur, partim il-  
lecebris earum rerum, quæ in mundo passim  
sunt obuiæ, partim exemplis prauis magnæ  
C 4 multitu-

*De secunda  
parte vite Chri-  
stiane, quæ est  
abnegatio im-  
pietatis, & mū-  
danarum cupi-  
ditatum.*

multitudinis hominum, qui nihil nisi mundana appetunt.

*Quid nominet  
Paulus impieta-  
tem.*

Nec verò dubium est, quin sub impietate non modo superstitiones notet, sed comprehendat etiam, quicquid cum serio Dei timore & vera in Deum fide ac dilectione Dei sincera pugnat.

Totum igitur Chaos ignorantia, dubitatio num de Deo, Idololatriæ, desperationis, odij & contemptus Dei, securitatis & impatientia, damnat Apostolus, idque eximi ex animis piorum iubet.

*Quid per mū-  
danas cupidita-  
tes intelligat.*

Deinde per mundanas cupiditates haud dubiè intelligit, quæ Iohannes Euangelista & Apostolus hac tristi descriptione Mundi cōplexus est, cum ait: Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo, Et mundus transit, & concupiscentia eius: Quem locum Iohannis non infeliciter hoc disticho expressit Mantuanus:

*Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas,  
Hæc tria pro trino numine mundus amat.*

Nam si diligenter cōsiderare volumus, Quid sunt affectus carnis & studia maximæ multitudinis hominum in mundo aliud, quàm appetitiones voluptatum in cibo, potu & libidinibus? Et auaritia, quæ opes inexplebili cupiditate cumulat? Et ambitio, quæ se effert supra alios & Spiritus altos gerit, & hoc vnicum in votis habet, quod Pompeium illum Magnum in ore crebro habuisse per-

25  
seperhibent, αἰέν ἀριστέειν καὶ ὑπεύροχόν ἐμμεναι ἀλλων.

Hæc arcana vitia, ex quibus plæraque peccata pugnancia contra secundam tabulam Decalogi oriuntur, exuere primùm & eradicare iubet Apostolus, vt quemadmodum impietate deposita verus Dei cultus: Sic mundanis cupiditatibus ex animo euulsis atque extirpatis, officia erga proximum sincerè præstari, & conscientia puritas atq; tranquillitas in rebus tum secundis, tum aduersis constanter retineri possit. Nam vt agri aut citò syluescunt, aut prorsus sterilescunt, aut minus fecundi & fructuosi euadunt, nisi assidua & quotidiana adhibeatur cultura nunc arando, nunc occando, nunc repastinando, cæteraq; agriculturæ officia peragendo: Sic nisi assiduè purgetur animus ab ijs, quæ nobis innata sunt, vitijs, & proprium velut ingenium labe originis corruptū & deprauatum, exuatur, nullus sanctiori ac sinceriori vitæ locus esse potest.

Quam ob causam, etiam in sanctis, in quibus initia veræ conuersionis, perpetuam hanc curam vult esse Apostolus, vt luctentur secum ipsi, & magis magisque veterem hominem exuant: Securitatem, & contemptum Dei, & dubitationes deponant: Superbiam, fastum, ostentationem, æmulationes contra proximum, contentionesq; omnes reprimant: Libidini, luxuriæ, molliciei, & voluptatum illecebris resistent: Auaritiæ & habēdi cupiditatis sordes, vt Hercules Augiæ stabulum, purgent.

*Lucta Spiritus & carnis in exuendo veteri homine perpetua in Christianis esse debet.*

Hæc lucta noui hominis cum veteri Adamo,  
D quam

quam abnegationem impietatis, & mundanarum cupiditatum Paulus hoc loco nominat (non tam crassa illa & omnibus obuia flagitia, quæ in externis moribus conspiciuntur, quàm interiora vitia, quæ abdita in omnium hominum animis latent, significans) nisi assiduè exerceatur, fieri profectò aliter non potest, quin maximis obstaculis homo à recti studio impediatur. Verissimum est enim, quod vulgò dici solet, Mundum vitiorum reconditum esse in hominis anima: Nec aliud remediū inueniri potest, quàm vt agnoscant innata animorum suorum vitia singuli, ipsq; maturè resistent, & vt alio loco Paulus præcipit: Eiusmodi actiones carnis Spiritu mortificent.

*De tertia parte vitæ Christianæ, quam tribus verbis Paulus describit, sobriè, iustè & piè viuere nos iubens in hoc saculo.*

*Triplex hominis ordo.*

Iam vt sublatis ruderibus initium ædificationis fieri solet à peritis architectis: Sic Apostolus in eo, quod nobis nunc propositum est, dicto, posteaquam impedimenta veri ac sinceri cultus Dei, quoad vtramq; legis Tabulã remoueri ex animis iussit, ipsam rectè viuendi rationem tradit, eamq; tribus verbis sapientissimè complectitur, quorū pondera diligenter sunt expendenda.

Nam vt triplex est ordo hominis: Primus erga Deum conditorem & patrem: Alter erga homines in quorum societate viuimus: Tertius erga se, etiam remotis arbitris: Sic prudenter Paulus vnicuique ordini conuenientia opera tribuit.

Etenim in primo ordine requirit pietatem, quæ est vera Dei agnitio, inuocatio & celebratio, In altero Systemate iustitiam postulat, quæ omnia dilectionis erga proximum officia, tum publicè, tum

27  
tum priuatim præstat, vt reddatur vnicuiq; quod suum est.

In tertio ordine præcipit sobrietatem, cuius appellatione tam castitatem & temperantiam, quàm perpetuam animi æquabilitatem etiam in rebus aduersis significat.

Hæc sapientia Pauli, qua tam paucis verbis totam rectè viuendi rationem complexus est, omnium piorum admiratione dignissima est. Neq; ego in vllis Philosophorum libris tam perfectam atq; concinnam omnium vitæ actionum descriptionem reperiri posse existimo.

*Sapientia Pauli in describenda rectè viuendi ratione, admiratione dignissima.*

Magnam sanè voluptatē percipere solco, cū Platonis narrationem lego, quæ in Dialogo extat, qui inscribitur Protagoras: Cū n. homines ad ciuilem coniunctionē nati, propter iniurias, quibus sese mutuo afficiebant, rursus dissiparentur, Iupiter metuēs generi nostro, ne penitus extingueretur, misit in terras Mercuriū, quæ adduceret verecundiā & iustitiā, quibus simul & ornaretur, & continentur ciuitates in societatis mutuæ coniunctione: Petijt aut Mercurius doceri se, quonam pacto deberet cōferre illas hominibus: Vtrumne inquit ita diuidere me oportebit, vt artificia diuisa sunt? Sic aut illa diuisa sunt: Nēpe, vt vnus, quæ Medicinā sortitus est, multis alijs imperitis, vsui esse soleat: Similiter & aliarū artiū opifices: Ergo iustitiam atq; verecundiā itāne hominibus tradi vis, an pponi vniuersis? Vniuersis, inquit Iupiter, proponi, & copiam fieri harum volo. Non enim stare ciuitates possent, si his pauci potirentur, vt fit de alijs artibus.

*Narratio Platonis de virtutibus.*

*Antithesis  
narrationis Pla-  
tonica, & sapi-  
entia Paulina.*

Quin etiam hanc à me illis legem feres, vt quicumque à iustitia & verecundia alienus repertus fuerit, is tanquam pestis suæ ciuitatis habeatur. Hæc Plato: Eleganter sanè significans, & quibus virtutibus præcipuè opus sit vniuersis & singulis, & quàm illæ virtutes necessariae sint in vita priuata & publica, ne societas ciuili dissipetur: Sed caput & fundamentum omnium virtutum omisit: Pietatem erga Deum, cum quidem prima sit hominis cum Deo conditore societas & copulatio.

In cæteris etiam, quas nominat, virtutibus, magna ex parte tantum externæ disciplinæ decus commendat, etiamsi intus cor prauis cupiditatibus ardeat.

At Apostolus insolubili vinculo inter se connectit, quæ solidam atque perfectam rectè viuendi rationem continent, cum omnes vitæ actiones ad hæc tria membra restringit, pietatē, iustitiam, & sobrietatem.

*Explicatio singularum virtutum, quas Paulus triplici ordine complexus est.*

Nec solum externam disciplinæ umbram his appellationibus describit, quæ similis est foliorum ficus, quibus initio primi homines nuditatem suam tegebant: Sed interiorem animi conformitatem, cum vtraque Decalogi tabula præcipit. Ergo de singulis his virtutibus dum aliquid breuiter commemoro, quæso auditores humanissimi, vt eadem, qua cœpistis, benignitate, balbutientem me porrò audire non dubitetis.

*De pietate erga Deum.*

Nam vt à pietate, quæ radix est cæterarum virtutum, primum ordiar: Sic mecum statuo: appellatione *εὐσεβείας* complecti Paulum omnia, quæ ad

29  
ad primam Decalogi tabulam pertinent; videlicet, veram Dei noticiam, fidem, dilectionem, spem, timorem Dei, humilitatem, patientiam, inuocationem Dei, gratiarum actionem, confessionem vere doctrinae de Deo, religionem iuramenti, reuerentiam debitam ministerio Euangelij: Quarum virtutum integræ descriptiones cum iuuentuti studiosæ sint notissimæ, mihi hoc loco ad commemorandum non videntur necessariae.

Illud verò præterire non possum, omnia hæc, *Qua in repositissimum pietatis exercitium versetur: nimirum vt toros nos Deo consecremus.* quæ legitimam Dei cultum comprehendunt, in eo potissimum sita esse, atque hunc præcipuum scopum habere, vt postquam Deum ex verbo ipsius rectè agnouimus, vera sanctitate cum Deo coniungamur.

Itaque cum piè nos viuere iubet Apostolus, in primis hoc eum velle existimo, vt à mundi inquinamenti segregati, & nostri ipsorum obliti, totos nos Deo cōsecremus ac dedicemus: Nec quidquam vel cogitemus, vel loquamur, vel meditemur, vel agamus, nisi quod ipsi placeat, & ad eius gloriam tendat.

Hic scopus nisi perpetuo nobis ob oculos propositus sit, nunquam sincera animi pietas locum habebit.

Contra verò, vbi Deo nos consecratos, non *Quantum refert nos non esse nostros, sed Dei.* nostros sed Domini nos esse recordati fuerimus, & quis error fugiendus, & quorsum dirigendæ sint vitæ nostræ actiones vniuersæ, facilè nobis apparebit. Si enim nostri non sumus, cur vel ratio nostra vel voluntas in consilijs factisque nostris do-

D 3 minatur?

30  
minatur? Si nostri non sumus, cur non obliuiscimur nos ipsos ac nostra omnia? Si nostri non sumus, cur hunc finem nobis in quacunq; restatuimus, vt quæramus, quod nobis secundum carnem expediat?

Rursus si Domini sumus, cur non cunctis nostris actionibus sapientia eius & voluntas præluceat? Si Domini sumus, cur non illi viuimus ac morimur? Si Domini sumus, cur non ad illum, tanquã ad solum legitimum finem contendunt omnes vitæ nostræ partes?

Hoc igitur post veram Dei agnitionem initium est & fundamentum pietatis, Non solum scire, sed etiam re atq; facto ipso ostendere, quod nõ nostri sed Dei simus: Ideoque nec sapere nec velle quicquam per nos ipsos, sed Dominum præcuntem duntaxat sequi: Non quærere, quæ nostra sint, sed quæ & ex Domini sint voluntate & faciant ad gloriam eius promouendam.

Ille multum in pietatis cursu profecisse se sciatur, cui in omnibus rebus hoc principium valde placuerit: Non nostros nos esse, Sed vni nos Deo consecratos atq; dedicatos esse debere.

Dixi de pietate, quam Paulus erga Deum requirit, multò equidem breuius, quàm magnitudo rei postulat: Sed quia magis in agendo, quàm in speculando pietas consistit, non tam oratione prolixiore, quàm assiduis exercitijs opus est.

*De Iusticia erga homines, cū quibus viuimus.* Sequitur vt de iusticia dicã: Quæ cum omnes alias virtutes, nimirum politicas, quæ erga alios in communi societate exercendæ sunt, in sese comprehen-



præhendat iuxta verbum vulgarem: ἐν δὲ δικαιοσύνη  
ἐκαστῶν τῶν ἀρετῶν, id est. Iusticia in sese virtu-  
tem continet omnem:

Magis perspicua erit Pauli oratio, qui iubet  
nos erga alios iuste vivere, si enumerationem vir-  
tutum secundæ tabulæ Decalogi, quæ officia di-  
lectionis erga proximum describunt, in cōspectu  
atque ob oculos positam habeamus.

Pertinent igitur ad hanc partem vitæ Chri-  
stianæ iustitia vniuersalis in gubernatorib. ac sub-  
ditis, Pietas erga liberos, Pietas erga parentes, Iu-  
stitia coniugum inter se, Iustitia distributiua, Re-  
uerentia erga alios, Sedulitas, Fortitudo, Mansue-  
tudo, ἐπιείκεια, Misericordia, Amicitia, Humani-  
tas, clementia, Zelus, Studium concordia, Iusti-  
tia commutatiua, Liberalitas, Parsimonia, Grati-  
tudo, Veritas, Candor & quæ sunt eiusdem gene-  
ris. Quarum virtutum descriptiones integræ ali-  
bi copiosè exponuntur, vbi & de extremis seu vi-  
tijs, quæ tum in excessu, tum in defectu à medio-  
critate singularum virtutum recedunt, quantum  
opus est, dici solet. Nam illa omnia huc afferre,  
& prolixum nimis foret, & minimè necessari-  
um.

*Quas virtu-  
tes comprehen-  
dat iustitia.*

Vnum hoc, præcipua quadam diligentia no-  
bis hoc loco considerandum est: Quod non exter-  
na solum opera iustitiæ erga alios, præstari à Chri-  
stianis velit Apostolus, quemadmodum leges ci-  
uiles externas actiones Iustitiæ potissimum requi-  
runt, vt conseruetur societas politica: Sed  
quod omnium maximè sinceram animi affectio-  
nem

*Quod aliter  
de iustitia le-  
ges politica lo-  
quantur, aliter  
scriptura.*



*In doctrina  
Ecclesie iusti-  
tia non solum  
significat exter-  
na officia erga  
proximum, sed  
totam dilectio-  
nem proximi.*

nem seu caritatem atque dilectionem erga alios postules, qua fit vt firmo ac constanti proposito, tantum iusta & quæ aliorum commodis profint, velimus, atq; eis quo dammodo nos totos addicamus: Sæpe etiam iure nostro, quod in procurandis vtilitatibus nostris arrogare nobis solemus, sponte cedamus atque alijs resignemus.

Quod quantum habeat difficultatis, sensus nostri atque experientia nos satis docent. Natura enim corrupta, ita in solam nostram dilectionem nos ferè inclinat, vt illa tantum iustè præstari alijs putemus, vbi nostra commoda simul non negligantur.

*Dilectio proxi-  
mi quousque se  
extendat.*

At dilectionis proximi, quæ iustitiam moderatur, illa demum vera ratio est, vt non tam alieni commodi studium cū propriæ vtilitatis cura semper coniungamus, quàm illi hanc subijciamus.

*Vt nostrorum  
commodorum  
obliti proximo  
nos addicamus.*

Deinde vt vltro alijs beneficiamus, neq; vquam benefaciendo alijs fatiscamus. Ideoq; nec hominum indignitatem, nec alias qualitates, quæ nos remorari possent, attendamus, Sed Deum tantum respiciamus, qui nos benefacere alijs iussit, quiq; ea lege fidei nostræ commisit, quæcunq; in nos bona contulit, quibus proximum adiuuare queamus, vt in eorum, qui indigēt, vsum, qualescunque illi sint, dispensemus.

*Vt sine perso-  
narum respe-*

Omibus igitur in vniuersum iustos atq; beneficos nos præstare decet: Quia etsi magna pars eorum, cum quibus versamur, indignissimi sunt, si proprio merito æstimentur: Tamen non quid ex seipsis mereantur homines respiciendum est, sed

sed imago Dei in cunctis consideranda, cui nihil non honoris & dilectionis debemus.

In domesticis autem fidei illa diligentius obseruanda est, quatenus per Christi spiritum renouata est & instaurata. Ergo quisquis hominum tibi offeratur, qui officio tuo indigeat, si iustitiam, quam Paulus à singulis nostrum requirit, constanter tueri velis, causam non habes cur illi te impendere detrectes. Dic extraneum esse. At Dominus notam illi impressit, quæ familiaris esse tibi debet, cum vetat ne carnem tuam despicias.

Dic contemptibilem ac nihili: At eum Dominus esse demonstrat, quem imaginis suæ decore dignatus sit.

Dic nullis eius officijs te esse obæratum: At eum velut in vicem suam substituit Dominus, qui tot ac tantis beneficijs te sibi deuinxit.

Dic indignum esse cuius causa vel minimum labores. At digna est imago Dei, qua tibi commendatur, cui te & omnia tua exhibeas.

Quod si non modo nihil boni pro meritis est, sed iniurijs quoque & maleficijs te prouocauit, ne hæc quidem iusta causa est, cur illum & dilectione & officijs iustitiæ & beneficentiæ prosequi desinas. Quanquam enim de te aliter pro meritis est, tamen Dominus, qui illi iubet remitti, quid quid in te peccauit, sibi vult imputari.

At hæc certè non modo difficilia, sed planè aduersa sunt naturæ nostræ, Diligere eos, qui nos odio habent, beneficijs mala pensare, probris benedictiones referre. Ex quo intelligi potest, longè maio-

E gè maio-

33  
Tu omnibus etiam, qui indigni apparent, officia dilectionis prestemus.

Non ad qualitates externas hominum, sed ad Dei mandatum respiciendum.

Ut ex sincero amoris affectu proximo prestentur officia nostra.

gè maiora iustitiæ appellatione complecti Paulum, quàm cum aut Legumlatores, aut Philosophi de iustitia illa sua differunt, quam formosiorrem esse aiunt Hespero & Lucifero.

Quid? quod Paulus nomine iustitiæ, quam dilectionem proximi alibi appellat, etiam illud comprehendit, nō modo ne ullū officium caritatis pretermittatur, sed vt ex sincero amoris affectu id fiat. In quo id etiā requiritur, vt personā eius, quem nostra ope indigere cōspicimus, in nos quasi recipiamus, ac fortunæ eius perinde misereamur, ac sicam sentiremus ac sustineremus ipsi, vtq; misericordiæ ac humanitatis sensu ad ferendas illi suppetias non aliter quàm nobis ipsis feramur.

*Vt misericordia erga proximum non aliter quàm erga nos ipsos afficiamur.*

Item ne liberatos nos esse putemus, si vno genere officij defuncti sumus, quemadmodū vulgo fieri solet, vt diues postquam aliquid de suo erogauit, alia onera tanquam nihil ad se pertinentia, alijs deleget.

*Vt non vnum genus officij, sed omnia, in quibus nostra ope indiget, proximo prestemus.*

Sed nimis longum esset omnia velle psequi, quæ ad iustitiam seu ad dilectionem erga alios exercendam pertinent. Satis enim ex his, quæ dixi, intelligi posse arbitror, longè plura atq; maiora Paulum postulare à Christianis singulis, cū iubet nos viuere δικαίως, quàm cū in statua Mercuriali, vt narrat Plato, Pisistrati filius, Hipparchus hunc versum inscribi curauit:

*De sobrietate quam erga nos ipsos exerceri vult Apostolus.*

μνημα τὸ δ' ἰππάρχου σεῖχε δίκαια φρονῶν.

Venio nunc ad σωφροσύνην seu sobrietatem: De tribus enim, quas enumerat Paulus, virtutibus, hæc extrema est.

Nec



35  
Nec verò absurdum est intelligere hanc appellationem de moderatione voluptatum, quæ gustu & tactu percipiuntur, quam Latini Temperantiam ac Castitatem nominant, quæ vitæ privatae vniuscuiusque maxima ornamenta sunt.

Quid nominet Paulus  
σωφροσύνην.

Castitas.

Nam vt Castitas omnes libidines seu corporum commixtiones à Deo prohibitas vitat: Sic Temperantia mediocritatem in cibo & potu efficit conuenientem naturæ & non impediens exercitia inuocationis & aliarum virtutum. Verum non has modo virtutes, quæ regunt & frenant *σοφροσύνην* in homine, sed etiam modestiam & æquabilitatem animi in omni fortuna nomine Apostolus complectitur.

Temperantia.

Modestia & Tolerantia.

Nam ad ordinem hominis erga seipsum, de quo in hoc membro præcipit Apostolus, illud in primis pertinet, vt animi motus in rebus tum secundis, tum aduersis rectè sint compositi, ne florente fortuna vagantes liberius exultent, aut sensu ærumnarum fracti atq; oppressi ad desperationem hominem redigant.

Satis autem apparet præcipuam Philosophorum sapientiam hac vna in re occupatam fuisse, vt æquabilitatem istam animi moderatis hominibus persuaderent, aut saltem frenum externis gestibus iniicerent, ne in secundis rebus tumidi, in aduersis timidi conspicerentur.

Quomodo Philosophorum præcepta differant de animi æquabilitate ab Apostoli præscripto.

Verum ad Ecclesiæ membra Cõcionem suam Paulus dirigit: In his ij tandem *σωφροσύνης* vitam instituire possunt, qui Spiritu Dei renati, omnes

Vnde & quomodo debeat comparari animi æquabilitas.

suae vitae partes vnius Dei arbitrio gubernari statuunt, quiq; in vitae praesentis commoditate quarēda, eiusdemque asperitate ferenda Deo se totos resignant: Neq; vlla alia appetunt, sperant, cogitant, quā quae ex Dei benedictione & voluntate proficiuntur. Hoc enim modo fit, vt nec si quid prosperē acciderit, sibi imputent ac suae vel sedulitati, vel industriae, vel fortunae, sed Deo auctori acceptum ferant: Ideoq; minus propter res secundas insolescant, aut alios praese contemnant. Nec si florentibus aliorum rebus ipsi parum promouant, impatientia se vinci ac superari patiantur, vt aduersus Deum murmurent, cuius arbitrio diuitiae & paupertas, contemptus & honores, felicitas & casus aduersi, quibus multipliciter obnoxia est praesens vita, prout salutis nostrae conueniunt, paterno & sapienti consilio dispensantur.

*Fundamentū  
Tolerantiae seu  
aequanimitatis  
est, Totum se  
Deo resignare.*

Hac vna ratio est retinendae ac conseruandae moderationis animi in rebus tum secundis tum aduersis, quam ignorat Philosophia, quamque profani homines neque intelligunt neque experiuntur. Verē autem Christianorum hac propria sapientia & virtus est, vt, quoniam initio à Deo creati, & postea per filium redempti, & Spiritu ipsius sanctificati sunt, eiusmodi in seius Deum rectē sibi vindicare sciant, vt hac creatura sua, hac oue à se redempta, hoc corpore & anima in peculium suum obsignata, pro sua voluntate vtatur ac fruatur, nec dimidium tantum, sed in totum potestatem in nos habeat.

Quamobrem etiam in aduersis rebus, quacunque

cunque sint obiecta externa, quibus caro infirma nitebatur, ipsi tamen (cum semel se in possessionem eius tradiderint, cuius se proprios esse meminerunt) tranquillo animo esse possunt, hac certa fiducia de Deo concepta, quod pro sua sapientia, bonitate & foedere aeterno non aliter nostri & rerum nostrarum potiturus sit, quam nobis salutare & ipsi gloriosum esse possit.

Huiusmodi animo Hiobus ille preeditus fuit, qui amissis facultatibus & liberis inter saevissimos cruciatus corporis, & acerbos vxoris Sarcasmos, omni spe, solatio & consilio amicorum destitutus, oculis in terram defixus, mente ad caelum erectus, benedictum nomen Domini pronunciat: Et, Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est.

Eodem animo & nos esse oportet, si viua & vera membra Ecclesiae esse volumus. Nisi enim nos totos arbitrio nostro creptos, in solidum Deo tradamus, semper nobis ipsis molesti erimus: Et Sabbathum illud, quod in animis nostris debebat esse perpetuum, turbabimus, adeoque verissime accidere nobis sentiemus, quod dixit Chrysostomus: Nemo leditur nisi a seipso.

*Ars Christianorum retinendi animi aequabilitatem in rebus aduersis.*

At ubi Deo nos resignabimus, & in aduersis quoque Dei clementiam intuebimur, vere *σωφροσύνην* illam, quam Paulus a nobis requirit, prestabimus, & inter medias aernas animo ad patienter ferenda mala tranquillo & placido esse poterimus.

Sufficiat haec de tribus virtutibus dixisse, quibus



bus omnia Paulus complexus est, quæcunque de triplici hominis vnus cuiusq; ordine dici possunt, vt & erga Deum pie, & erga alios homines iuste, & erga nos ipsos æquabiliter vitam instituamus.

*De quarta parte vita Christiana: Quam Paulus nominat Beatam spem & manifestationem gloria Christi.*

Cum autem nihil magis difficile sit, quam Deo & proximo te totum addicere, & cum tecum ipse agis, auream illam *ἐὐδαιμίας* perpetuo retinere, non frustra nec temerè, sed magno consilio Paulus, vt animos nostros ab omnibus laqueis extricet, ad spem securæ immortalitatis nos tandem reuocat, iubens nos expectare beatam spem & manifestationem gloriae magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, qui & antea se pro nobis dedit, vt nos redimeret.

*Cur Paulus adiungat mentionem securæ gloriae.*

Hac ratione non frustra certare nos admonet: Quia vt semel apparuit Christus Redemptor: Ita ultimo suo aduentu, fructum salutis à se partæ nobis ostendet.

*Quàm deceat Christianos perpetuo meditari vitam securam.*

Eadem hac ratione illecebras etiam omnes discutere Apostolus voluit, quæ nos impediunt sæpe ac detinent, quo minus aspiremus, vt deceat, ad cœlestem illam gloriam. Sic enim peregrinandum esse in hoc mundo docet, ne nobis vel pereat, vel excidat cœlestis hæreditas.

*Est igitur & hæc pars vitæ benè compositæ, vt in præsentis vitæ contemptu ad futuræ vitæ desiderium ac meditationem animum perpetuo erigamus.*

Nam si bruta animalia atque ad eò inanimæ ipsæ



ipsæ creaturæ præsentis suæ vanitatis sibi consciæ  
 in vltimum resurrectionis diem intentæ sunt, vt  
 cum filijs Dei à vanitate eximantur: Quantò ma-  
 gis nos & ingenij luce præditos, & supra ingeni-  
 um, Dei Spiritu illuminatos, cum de nobis ipsis  
 cogitamus, attollere animos futuræ vitæ medita-  
 tione decet, spreta & contempta hac vita, quæ cum  
 in sese æstimatur, inquieta, turbulenta, innumeris  
 modis misera, nulla ex parte planè beata est: O-  
 mnia vero, quæ æstimantur eius bona, incerta,  
 fluida, vana, multisque malis admixtis vitiata  
 sunt:

Quam ob causam & fideles vniuersos hac no-  
 ta plærunque describit Apostolus, quòd vltimæ  
 apparitionis Christi (qua vniuersalis fiet liberatio  
 piorum) diem cum gaudio expectent. Et scriptu-  
 ræ familiare est, quoties solidæ læticiæ argumen-  
 tum proponere vult, eò nos reuocare: Sicut Do-  
 minus ipse exultare nos iubet & leuare capita no-  
 stra, quoniam appropinquat redemptio nostra, hoc  
 est, quia aduentu illo suo postremo Dominus ab  
 hoc immenso malorum & miseriarum gurgite ex-  
 tractos, in beatam illam vitæ & gloriæ suæ hæredi-  
 tatem inducet.

Neque vero aut pietatem rectè colere, aut  
 iusticiam erga alios exercere, aut animi æquabi-  
 litatem in rebus aduersis constanter retinere quis-  
 quam poterit, nisi præsentē rerum faciem, animo  
 quasi transfiliat, & quicquid in mundo est, in cœlū  
 mente erecta, superet. Qui vero caput semel super  
 omnia

*Quàm sit neces-  
 saria meditatio  
 & spes secutu-  
 ra gloria.*



omnia terrena extulerit, etiam tum si videat flores impiorum opes & honores, si alta pace frui, si rerum omnium splendore & luxu superbire, si delicijs affluere iniustos cernat. Si præterea corum improbitate pulsetur: Si contumelias ab eorum fastu sustineat: Si auaritia expiletur: Si alia quavis libidine vexetur: non difficulter se in talibus malis sustinebit.

Erit enim sub oculis dies ille, quo Christus in regni sui quietem fideles suos recipiet, absterget ab eorum oculis omnem lachrymam, stola gloriæ & læticiæ illos induet, deliciarum suarum inenarrabili suauitate pascet, in altitudinis suæ societatem euehet, denique felicitatis suæ participatione dignabitur.

Impios verò illos, qui in terra floruerint, in extremam ignominiam projiciet, eorum delicias cruciatibus, risum & læticiam fletu ac stridore dentium permutabit, pacem diro conscientiarum tormēto inquietabit, molliciem plectet igne extincto, pijs etiam, quorum patientia abusi fuerint, eorum capita subijciat. Hæc enim est iustitia, teste Paulo, dare miseris & iniuste afflictis, relaxationem: reddere verò afflictionem improbis, qui pios affligunt, cum reuelabitur Dominus Iesus è cælo.

Hæc profectò est vnica nostra cōsolatio: que si auferatur, aut vanis mundi solatijs in exitium nostrum delinire animum, aut prorsus nos animum despondere necesse est.

Haftenus de summa vitæ Christianæ dixi,  
non

non vt debui, sed vt potui, quam breui, sed in si- *Epilogus, in quo est ἀνακε- φαλαίωσις partium prae- cipuarum perti- nentium ad vi- tam Christia- nam.*  
gni dicto Paulus Apostolus complexus est, quod  
vtinam nobis omnibus familiarissimè notum sit,  
non modo vt crebrò sententiam dicti dulcissimi  
cogitemus, sed vt agnita gratia patefacta in Euan-  
gelio, re ipsa omnè impietatem & mundanas cupi-  
ditates abnegemus, & piè, iustè ac sobriè viuamus  
in hoc saeculo, & aduentum Domini nō votis mo-  
do, sed gemitu etiam & suspirijs, velut rem omni-  
um faustissimam expetamus, & hac spe leniamus  
omnes huius vitæ miserias, sicut de Stephano in  
carmine quodam scriptum est: Ibat ouans ani-  
mis, & spe sua damna leuabat.

Nunc quod restat, audiamus leges Acade-  
miæ nostræ, quæ de officijs externæ disciplinæ sic  
concionantur, vt non inconcinnè ad triplicem il-  
lum ordinem hominis referri possint, de quo pau-  
lò antè in explicatione verborum Pauli dictū est.

Lege igitur Nomenclator statuta almæ hu-  
ius Academiæ, more vsitato. Clara voce.

## POST RECITATIO- NEM LEGVM.

**A** Vdiuistis leges inclytæ Academiæ no-  
stræ, sapienti consilio & graui aucto-  
ritate Illustrissimi Magistratus nostri  
sancitas ac traditas: Quæ cūm secun-  
dum vtramq; Decalogi tabulam, de externa disci-  
plina præcipiant potissimum, quam aliquo mo-  
do ra-

*Cur obædien-  
tia legibus præ-  
standa sit, præ-  
cipientibus de  
externa disci-  
plina.*

*Propositio se-  
quentis Parane-  
sis.*

do ratio humana intelligit: ipsum sanè discrimen honestorum & turpium, naturaliter mentibus nostris insitum hortari debet vniuersos ac singulos, vt reuerenter his legibus pareant: Deinde & pœnæ, quas minantur leges contumacibus, deterrere malos debent, vt à flagicijs, si non virtutis amore, saltem formidine pœnæ abstineant.

Sed vt ante legum recitationem, non tantum de vmbra externæ disciplinæ, sed de summa vitæ Christianæ commonefactionem ex dicto Paulino institui: Sic prætermiffa longiori commemoratio-  
ne caufarum Philosophicarum, cur disciplina præstanda sit, ex verbo Dei aliqua argumenta & rationes insigniores, quæ nos ad vitam piè, iustè & sobriè instituendam hortantur, Epilogi loco recitabo.

Non enim normam nobis solum præscribit, quæ nos in vitæ Christianæ studio aberrare non sinat: Sed etiam ad amorem vitæ benè compositæ, ad quam alioqui natura minimè propensi sumus, animos nostros excitat.

Quemadmodum igitur Paulus, cum initio eius dicti, quod antea vtcunque explicare conatus sum, mentionem fecisset gratiæ patefactæ in Euangelio, Rursus sub finem eiusdem dicti argumentum adhortationis ex præcipuo capite doctrinæ Euangelij sumit, Cum & redemptionem factam & *λύτρον* pro nobis persolutum à Domino & liberatore nostro Iesu Christo prædicat: & Ecclesiam, quasi quoddam peculium ex genere humano colligi & sanctificari ad hunc finem docet, vt ar-  
deat

43  
deat Zelo bonorum & Deo placentium operum:  
Sic nos nulla argumēta exhortationis ad studium  
vitæ rectè instituendæ apud eos, qui fide in Chri-  
stum renati sunt, efficaciora esse existimemus,  
quàm quæ hauriuntur ex fontibus doctrinæ Euan-  
gelij dulcissimè legem interpretantis, & summa  
Dei beneficia nobis præstita reuelantis, atque illu-  
strantis.

Ergo non solum debitum, id est, præcepta de I.  
ordine immutabili, quo homines obstricti sunt ad II.  
obœdiendum Deo: & pœnas præsentis atq; æter- II.  
nas aduersus inobœdientes nobis proponamus,  
vt ad obœdientiam Deo placentem animi nostri  
excitentur: Sed finem præcipuorum operum Dei,  
Creationis, Redētionis, & Sanctificationis nobis  
inculcemus, vt his tanquam stimulis ad gratitudi- III.  
nem Deo debitam, & ad studium benè operandi  
impellamur: Conditi enim sunt homines ad ima- III.  
ginem & similitudinem Dei, id est, ad congruen-  
tiam sapientiæ & iusticiæ cum Deo.

Deinde filius Dei, cuius liuore sanati sumus, III.  
in corpore suo peccata nostra portauit super li- V.  
gnum, vt peccatis mortui iusticiæ viuamus. Præ- V.  
terea & Spiritus Sanctus, qui est Spiritus gratiæ  
& precum, in corda nostra effusus est, vt initia  
regenerationis ac renouationis in nobis accen-  
dat.

Idem quoque finis est vocationis nostræ, VI.  
qua per ministerium Verbi & Sacramentorum  
aggregati sumus ad societatem Ecclesiæ, vt si-  
mus gens sancta, populus acquisitus, & vir-  
tutes

tutes annunciemus eius, qui ex tenebris nos euocauit in admirandam lucem suam.

- VII. Quid? quod spes resurrectionis & vitæ æternæ nobis proposita est: Vt qui habet hanc spem sanctificet se, sicut & ille sanctus est, qui nos in filios adoptauit, qui filij sui membra effecit, qui templa Spiritus sancti & organa diuinarum actionum in hac vita esse voluit.
- VIII.
- IX. Accedit huc, quod Christus non solum vt donum, sed vt exemplar etiam nobis propositus est, cuius formã in vita nostra exprimimus. Sunt & præmia amplissima nõ solum corporalium, sed etiam spiritualium bonorum, nec modo præsentis, sed etiam futuræ vitæ promissa rectè facientibus iuxta dictum Pauli: Pietas habet promissiones huius & æternæ vitæ. Denique ipsa bona opera & exercitia sunt & testimonia fidei, non solum ad alios, sed etiam ad nos ipsos. Testantur enim, quod gratia sit in nobis efficax, & quod efficaciter vocati & electi simus, sicut è contrario lapsibus contra conscientiam effunduntur hæc summa bona, Remissio peccatorum, Reconciliatio, Spiritus Sanctus & vita æterna.
- X.
- XI.
- XII.

*Vsus argumentorum, qua ostendunt necessitatem, dignitatem & utilitates bonorum operum.*

Hæc argumenta, quæ nude ac simpliciter recitauimus, ne oratio in nimiam prolixitatem excresceret, non solum refutant illos, qui fingunt post reconciliationem, nõ necessario sequi nouam obedientiam seu fructus poenitentiae, sed etiam animos nostros, si paulò attentius considerentur, inflammant amore pietatis, iusticiæ, & modestiæ. Neque obscurum esse potest versanti in lectione scriptorum

75  
ptorum Prophetarum & Apostolicorum, ex  
fontibus horum argumentorum maximè splendi-  
das exhortationes in sacris literis desumi.

Ac sunt sanè multò præstantiora hæc funda-  
menta, quibus ad rectè faciendum excidemur,  
quàm in omnibus libris Philosophorum reperiri  
possit.

*Argumenta scri-  
ptura multo ef-  
ficaciora sunt,  
quàm Philoso-  
phica exhorta-  
tiones ad virtu-  
tis studium.*

Illi enim dum ad virtutem egregiè adhortari  
volunt, nihil aliud afferunt, quàm vt naturæ con-  
uenienter viuamus, neq; vnquam ferè supra homi-  
nis naturalem dignitatem ascendunt.

At scriptura longè altius orditur, atq; ex ve-  
ris ac solidis fundamentis initium sumens, nō mo-  
do vitam nostram ad Deum authorem, cui obstri-  
cta est, referre præcipit, sed postquam nos de gene-  
rante docuit à vera creationis nostræ origine ac le-  
ge, ad Christum nos deducit, atque ab omnibus  
Dei beneficijs, quæ per Christum nobis exhibita  
sunt, & à singulis salutis nostræ partibus materiam  
exhortandi sumit, vt ostendat ex quo se nobis pa-  
trem Deus exhibuit, extremæ ingratitude nos  
esse arguendos nisi vicissim nos illi filios non dege-  
neres exhibeamus: Ex quo nos Christus sanguinis  
sui lauacro mundauit, atque hanc purgationem  
per Baptismum communicauit, non decere vt no-  
uis sordibus inquinemur: Ex quo nos suo corpori  
inseruit, idque in Eucharistiæ salutari vsu nobis  
quotidiè obsignat, sollicitè cauendum, ne nobis,  
qui sumus eius membra, maculam aut labem vl-  
lam aspergamus: Ex quo ipse idem, qui caput est  
nostrum, in cœlum ascendit, conuenire vt depo-

*Repetitio præci-  
puorum argu-  
mentorum scri-  
ptura, quibus  
nos ad vitam  
Christianam  
exhortatur.*

sitis terrenis cupiditatibus illuc toto pectore aspi-  
remus: Ex quo nos Spiritus sanctus tēpla Deo de-  
dicauit, dandam operam vt Dei gloria per nos il-  
lustretur: Nec verò esse committendum, vt pecca-  
ti spurcicia profanemur: Ex quo & anima nostra  
& corpus cœlesti incorruptioni, & immarcescibi-  
li coronæ destinata sunt, strenuè enitendum esse,  
vt pura & incorrupta in diem Domini conseruen-  
tur.

*Ἐπιτομή  
seu exhortatio  
ad studium vi-  
tæ Christianæ  
rectè instituen-  
dum.*

His exhortationibus nihil simile apud omnes  
Philosophos reperimus: Vtinam verò, quemad-  
modum aures nostræ eiusmodi vocibus in Eccle-  
sia quotidie personant: Sic reatq; facto ipso eas ex-  
primamus, ne non solùm à creatore nostro defice-  
re, sed ipsum quoq; seruatorem nostrum eiurare,  
& cum summa ingratitude omnia Dei benefi-  
cia per Christum exhibita effundere atq; repellere  
à nobis videamur: Imò ne Christianorum nomine  
nos indignos reddamus. Quomodo enim titu-  
lum Christiani nominis rectè usurpabimus, aut  
qua fronte sacro Christi nomine gloriabimur, si  
vita & mores nostri doctrinam Christi minimè re-  
ferunt? Siquidem nihil est commercij cum Chri-  
sto, nisi his, qui rectam eius cognitionem ex ver-  
bo perceperunt. Atqui eos omnes rectè Chri-  
stum didicisse negat Apostolus, qui non abiecto  
veteri homine, qui corrumpitur secundum desi-  
deria erroris, Christum ipsum induerunt.

Falso igitur atque etiam iniuria Christi co-  
gnitionem obtendunt, qui nihil cum Christo cō-  
mune



47  
mune habent. Non enim in sermone, sed in virtute consistit regnum Christi: Nec linguæ doctrina est Euangelium de Christo sed vitæ: Nec intellectu ac memoria tantum apprehenditur, ut reliquæ disciplinæ, sed tum recipitur demum, ubi animam totam possidet, sedemque inuenit in intimo cordis affectu, adeoque nos totos in sese transformat.

Quamquam verò, dum carnem peccati nobiscum circumferimus, & in his terris vitam exigimus, nunquam eam perfectionem attingere possumus, quæ nihil, quàm absolutum Christi Euangelium spiret: Tamen si nõ indigni Christo Magistro discipuli esse volumus, scopum illum ante oculos præfixum semper habeamus, ad quẽ omne studium nostrum dirigatur, ut (quemadmodum Paulus summam vitæ Christianæ cõplexus est) in agnitione & fiducia Christi, cuius gratia salutifera omnibus hominibus illuxit, abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs vitam agamus piè, iuste, & sobriè, & in contemptu vitæ præsentis assidue meditemur beatam illam spem futuræ immortalitatis. Et quoniã nemini tantum suppetit in terreno hoc corporis carcere, roboris, ut iusta cursus alacritate festinet ad hanc metam, ad quam eniti & cõtendere debemus: Maiorẽ verò numerum premit tanta debilitas, ut vacillando & claudicando, humi etiã reptando, vix paululum promoueant. Eamus quisque quantum possumus & inceptum iter prosequamur, cum nostro studio & labore, perpetuo coniungentes inuocationem seriam Dei, ut, qui dedit nobis

*Et si in hac vita nemini perfectio contingit, singulos tamen eniti debere, ut proficiant in vita Christiana partibus exprimendis.*

nobis velle, det etiam perficere, vt ipsi fiant aliqua grata. Id cum faciemus, nemo tam infeliciter incedet, quin aliquantum saltem viae quotidie cunctetur.

Hoc ergo agere non desinamus, vt aliquid assidue in via Domini proficiamus, neque successus tenuitate desperemus. Vt cunque enim successus voto non respondeat, non tamen perdita est opera, vbi hodiernus dies hesternum vincit: Sincera modo simplicitate in scopum nostrum respiciamus, & ad metam aspiremus, non assentatoriè nobis ipsis blandientes, nec malis nostris indulgentes, sed perpetuo conatu in hoc incumbentes, vt meliores nobis ipsis euadamus, donec carnis infirmitate exuti, & in gloriosa filij Dei apparitione resuscitati, atque animis & corporibus in beatam illam immortalitatem translati fuerimus, vbi Deus erit omnia in omnibus electi, cui sit laus, honor & gloria in perpetuum.

D I X I.

IMPRESSVM FRANCOFOR-  
TI AD MOENVN, APVD PAV-  
LVM REFFLERVM.

ANNO

CIO.

IO.

LXXIIX.

Ge 133

ULB Halle 3  
002 178 605




Sb.


Handwritten signature or initials

Handwritten initials





DE VIT  
 NA RECTE  
 VT SECUNDVM  
 PTVM, AD TITV  
 ET AEQVA  
 HO  
 A GENERO  
 DOMINO, D. H  
 Comite in Passau  
 chen & Schl  
 mix  
 CVM EIVS A  
 & leges, in suo an  
 blicè  
 ET  
 INCLYTO COMITI  
 toni, Comiti  
 ANNO  
 8



8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

h.

